

parte termini ad quem, et dans speciem alicui motui, est objectum formale, quia objectum formale est quod specificat: ergo non ipsa persona prædestinata, sed res, seu terminus ad quem est prædestinatio pertinent ad rationem objecti formalis. Et idem constat ex ratione supra adducta, quia persona de se est indifferens, ut pertineat ad prædestinationem, et reprobationem, et subjiciatur providentiæ communi vel particulari: ergo ex sola ratione personæ non potest sumi ratio formalis prædestinationis, quæ distinguat illam a reprobatione, vel constituat in ratione providentiæ supernaturalis, si quidem persona supernaturalis non est, sed solum gratia et gloria, quæ est res ad quam prædestinatur persona: ergo inde sumitur ratio formalis, quia inde sumitur proprium distinctivum prædestinationis a reprobatione, et constitutum providentiæ specialis supernaturalis per modum objecti, et termini ad quem.

VII. Ad fundamenta opposita respondetur, quod prædestinatio supponit dilectionem amicabilem, sed formaliter non est ipsa dilectio, sed providentia circa rem sic dilectam. Providentia autem est sicut actio et motus, quia est directio seu transmissio ad aliquem finem; et ideo ab ipso fine seu termino ad quem sumit speciem, non a persona, quæ se habet ut subjectum transmissum. Itaque differentia et inter amorem amicabilem, et gubernationem seu directionem, quod amor est affectus unitivus; et ideo principaliter debet respicere extrema unibilia, quæ in amore amicitiae sunt ipsæ personæ, non vero res in quibus communicant personæ sic unitæ. Gubernatio autem seu providentia est directio, et transmissio personæ dilectæ ad aliquem finem, quem illi volumus, et talia transmissio non

se habet ut unio cum persona, sed ut motus seu delatio personæ ad finem; et talis motus non respicit personam ut objectum formale, sed finem seu terminum ad quem, cuius subjectum est persona. Adde tamen secundo, quod etiam in ipso amore amicabili, sic directe respiciente personas, adhuc formalis ratio est res, quam illi volumus, vel saltem est conditio ad ipsam rationem formalem requisita, non quia res quam volumus amico, sit principale objectum amicitiae, sed quia persona quæ est objectum amicitiae fundat diversam rationem amicitiae secundum diversas habitudines ad diversas communicationes; inde enim diversificari amicitias docet S. Thomas 2-2, quæst. xxiii, art. 1, sicut alia est amicitia et societas inter cives, alia inter milites, vel mercatores propter diversas communicationes. Sic in amicitia Dei erga hominem, licet principale objectum diligatur sit persona, tamen communicatio in bonis supernaturalibus gratiæ, et gloriæ distinguit istam amicitiam ab alio amore mere naturali, et sic vel se habet ut ratio formalis illius, vel ut conditio maxime ad illam requisita. In providentia autem seu gubernatione, quæ se habet ut motus et delatio ad istum finem, tamquam ad terminum ad quem, habet se ut ratio formalis ipse terminus, et licet persona prædestinata et gubernata se habeat ut sagitta, quæ recepit impressionem a sagittante ad aliquem finem, tamen impressio non se habet ut terminus ad quem, sed ut motio deferens ad terminum ad quem; et ideo neque ipsa impressio, nec sagitta, aut persona se habent ut ratio formalis, sed ut subjectum vel motio respicientes terminum ad quem a quo sumitur ratio formalis.

VIII. Statim vero occurrere potest difficultas, quia aliquando in prædes-

tinatione non distinguitur finis qui et cui: ergo non oportet quod prædestinatio respectum dicat ad ista duo. Antecedens patet in prædestinatione Christi, cuius prædestinationis subjectum non est natura humana, sed ipsa persona, ut docet D. Thomas III p. q. xxiv, art. 1, natura enim proprie non prædestinatur, nec redditur filia, quia solum persona est capax filiationis, et multo minus filiatio naturalis Dei potest convenire naturæ humanæ, quia natura humana cum sit creata, non potest in ipsa ratione naturæ naturaliter procedere a Deo. Id autem ad quod prædestinatur Christus tamquam ad terminum, est ipsamet filiatio naturalis, quæ est Persona divina, quia prædestinatus est ut esset filius naturalis, et non adoptivus, sicut nos, juxta illud Rom. 1: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute*: ergo non distinguitur ibi terminus prædestinationis a subjecto.

Respondetur de hac prædestinatione Christi quæ singularissima est, nihil nos agere in præsentem, sed pertinere ad locum citatum tertia parte. Breviter tamen dicimus, quod adhuc in illa prædestinatione distinguitur subjectum, et terminus, saltem secundum diversas formalitates: si enim nullo modo distinguerentur, evacuaretur prædestinatio: nihil enim prædestinatur ad id quod jam est, sed ad id quod ei supervenit, et per gratiam datur, cum prædestinatio sit gratiæ præparatio, ut dicit Augustinus de prædestinatione sanctorum, cap. x. Et exemplum ponit in ipsa prædestinatione Christi, cap. xv. Subjectum ergo illius prædestinationis est ipsa persona Christi, non ut est naturaliter Filius in natura divina, sed ut capax ejusdem filiationis naturalis per gratiam unionis in natura humana; et sic filiatio naturalis ut communicata gratuito, est terminus prædestinationis, et ip-

samet Persona Filii in quantum persona hominis, est subjectum hujus prædestinationis, in quantum est capax istius gratiæ unionis, non ratione sui, sed ratione naturæ humanæ, quæ licet non reddatur filia, ut subjectum quod, est tamen id quo Persona Filii Dei in quantum homo est capax hujus filiationis per gratiam, qui in natura divina id habet per naturam. Si autem illa Persona ut homo, est capax filiationis per gratiam, consequenter per prædestinationem, quia prædestinatio est ad gratuitum beneficium præparatio; in natura autem divina non est capax per gratiam, neque per prædestinationem. Itaque terminus illius prædestinationis non est Filius Dei absolute, sed ut in homine, et sic est gratuita illi Personæ, non in se, sed ut homini, et terminus hujus prædestinationis est de novo factus, non in se, sed sui communicatione: neque enim illa prædestinatio facit de novo filiationem Dei naturalem, sed communicationem illius in tempore, quando Verbum caro factum est.

RRÆSCIENTIA PRÆPARATIO ET CERTITUDO PRÆDESTINATIONIS QUOMODO INTELLIGANTUR.

IX. In his particulis explicandis consurgit differentia inter sententiam defensorum scientiæ mediæ, et nos. Defensores enim scientiæ mediæ multo aliter intelligunt istas particulas, ob quarum fortasse sinistram intelligentiam voluerunt etiam alias definitiones prædestinationis tradere, ut supra vidimus. Nam nomine præscientiæ intelligunt scientiam mediam, qua Deus ante omne decretum suæ voluntatis cognoscit omnem vim et efficaciam mediocorum, et consensum nostrum futurum, vel non futurum. Nomine au-

tem præparationis beneficiorum Dei intelligunt communiter præparationem specialium auxiliorum, et congruentium, non tamen ex sua intrinseca vi et natura, sed ex nostro consensu, et cooperatione prævisa. Imo p. Lessius disp. de prædestinatione citatus a M. Gonzalez hic disp. LXIX, art. II, dicit gratiam, quæ datur prædestinatis, non distingui ab ea, quæ datur reprobis, nisi ex effectu et cooperatione nostra, quæ pendet a libertate nostra. Unde impugnat specialem præparationem gratiæ et auxiliorum, etiam ex præsupposita scientia mediæ, sed docet quod ante absolutam prævisionem nostri usus liberi arbitrii eodem modo Deus se habet cum electis et reprobis, ductus ea ratione, quia Deus non est insidiator salutis reproborum, licet sit adjutor electorum: si autem Deus solum præbere vellet electis gratiam, quam scit habituram effectum, reprobis autem eam quam cognoscit esse frustrandam, licet illos adjuvaret et beneficiaret sua providentia, his tamen insidiari videretur, solum eam gratiam tribuens, quæ frustranda est, cum posset aliam efficacioram tribuere. Denique nomine certitudinis, cum dicit Augustinus in definitione: « Quibus certissime liberantur quicumque liberantur, » intelligunt non certitudinem ortam ex intrinseca efficacia mediorum deducendum nos ad finem, sed ex præscientia conditionata, qua Deus prævidet quid nostra voluntas factura sit in tali vel tali occasione, tali vel tali gratia proventa, non ex vi decreti divini, sed ex libertate sua, cum ipso tamen Dei adjutorio. Lessius autem hanc certitudinem ponit in ipsa scientia visionis, qua Deus prævidet bonum usum nostrum de facto, et perseverantiam usque ad finem, etiamsi Deus eodem modo se teneat ex parte electorum et reproborum.

X. Hæc omnia sunt corollaria, et consecutiones scientiæ mediæ, in qua constituenda ut late deduximus præcedenti tomo, disp. xx, art. iv, illud non minoris inconvenientis est, quod prædestinationem non ponunt distingui a providentia communi per aliquid speciale ex parte Dei se tenens, et ab eo causatum, sed per aliquid ex parte nostra præscitum a Deo, sed stantibus eisdem donis, et auxiliis divinis datis reprobo aut prædestinato, redditur specialis providentia illa prædestinatio et secernitur a reprobatione per hoc quod Deus præscit futurum a libero arbitrio. Quod totum ex verbis Molinæ ostendimus loco citato et quam e diametro adversetur D. Thomæ cujus verba ex quæstione vi de verit. art. III, retulimus, a quibus se Molina penitus expedire non potuit. Ubi aperte s. doctor dicit quod si dicatur quod Deus ordinat prædestinatum ad salutem, sicut et quemlibet alium, sed cum hoc de prædestinato scit, quod non deficiet a salute, sic inquam dicendo, non diceretur prædestinatus differre a non prædestinato ex parte ordinis, sed tantum ex parte præscientiæ eventus: et sic præscientia esset causa prædestinationis, nec prædestinatio esset per electionem prædestinantis, quod est contra auctoritatem Scripturæ, et dicta sanctorum. Unde præter certitudinem præscientiæ, ipse ordo prædestinationis habet infallibilem certitudinem. Vide citato loco responsiones Molinæ ad istam auctoritatem D. Thomæ et earum refutationem et Augustini etiam auctoritates, quas ibi citavimus, quia de hoc ipso fuit consultus a S. Prospero in epistola ad Augustinum sub finem, de quo amplius infra dicturi sumus agendo de prædefinitionibus divinis, et supra egimus tractando de efficacia decretorum Dei ex sua natura, et non ex scientia mediæ.

XI. Illud tantum admoverim, quod attinet ad Dei electionem circa prædestinatos, parum differre communem sensum ponentium scientiam mediæ, tamquam requisitam ut Deus habeat certitudinem mediorum et infallibilitatem consecutionis in effectu a sensu p. Lessii ponentis non dari præparationem specialem beneficiorum Dei, etiam ex scientia mediæ, sed solum ex præsuppositione bonorum operum et usus futuri nostri liberi arbitrii per scientiam visionis. Imo in hoc bene vidit p. Lessius non evacuari inconvenientia, quæ solent afferri, circa præparationem Dei, specialem ante prævisum nostrum bonum usum ex sola prævisione scientiæ mediæ. Nam communiter qui ponunt scientiam mediæ ut præviam, et requisitam ad ipsam prædestinationem sic philosophantur, quod Deus visis omnibus combinationibus et ordinibus rerum, vidit etiam quomodo in tali occasione et in tali tempore, cum tali auxilio iste converteretur alter non, iste perseveraret alius non, et consequenter iste damnaretur non alius, et similiter vidit quod si illi qui non converteretur aut perseveraret in illa occasione et cum illo auxilio, daret aliud auxilium, vel in alia occasione, utique perseveraret aut converteretur. Et sic prævidens omnia ista sic futura sub illa conditione, præparavit, id est, ex omnibus illis combinationibus elegit istam in qua tale auxilium vult dare isti quod prævidit ex ejus bono usu non frustrandum, et alteri noluit dare aliud, quod si daret, non frustraretur, sed illud dare voluit quod frustrandum prævidit.

Contra istam præparationem beneficiorum et modum providentiæ consurgit duplex difficultas.

XII. Prima, quod Deus eodem modo se habendo ex parte sua circa duos homines, et nihil magis procu-

rando pro uno, quam pro alio, nec diversa beneficia aut dona sua largiendo, sed prorsus eadem, unus consequetur vitam æternam, alter amittet; et sic unius prædestinatio præ alio non reducetur ad specialem amorem, et specialem electionem gratiæ divinæ intrinsecam, sed solum specialem extrinsecam, et ex ordine ad nostrum bonum usum ei extrinsece adjunctum, et a Deo prævisum, si quidem cum eadem gratia divina prout ex parte Dei se tenet, et a Deo est, unus salvatur, alter non, cum tamen evidenter dicat Apostolus Paulus, Roman. XI: *Sic et in hoc tempore reliquæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt.* Sequela patet, quia videt Deus quod producendo duos homines, et dando illis æqualem gratiam, unus utitur bene illa, et perseverabit, et consequetur salutem, alter non bene utitur et non perseverabit: ergo nihil magis amando unum quam alium, nec in naturalibus, nec in supernaturalibus, nec magis eligendo secundum gratiam istum, quam illum (si quidem electio et dilectio Dei ex donis quæ confert perpenditur) iste salvabitur, alius damnabitur.

Nec dici potest, habuisse illum qui salvatur majus beneficium et benevolentiam Dei, quia voluit Deus illum ponere de facto, et absolute in tali occasione, et præbere tunc gratiam cum qua videbat consensurum, et alteri noluit præbere aliam gratiam, vel in alia occasione, in qua esset consensurus. Et sic licet sit eadem gratia intrinseca facta uni atque alteri, et idem donum Dei; est tamen diversa gratia extrinseca in hoc quod uni voluit dare gratiam in occasione qua consentiet, alteri nunquam voluit dare gratiam in occasione qua consentiet, licet eandem dederit quoad intrinsecam entitatem, et essentiam doni. Et ita non indiget diversa providentia Deus, et